



PROLOQUIUM

A D

LECTOREM.



RÆFATIONUM usus, in Librorum editionibus, non omnibus probatur, utpotè quæ Lectori in altum properanti remoram in jicere videantur, & Genium rem ipsam cominùs videre gestiens retinaculis importunis præpediant. Cui etenim bono, inquiunt, Tabellæ publicè propositæ velum obducere, & præsentem voluptatem avidis præripere oculis jamjam ad illam contemplandam ardentibus? vel esurientem atque mensæ assidentem longiore discursu convivam destinere, qua si licet arte, quibusvè condimentis edulia parata sint, quasi aures priùs quam os & venter, saturandæ sint? At verò cæteri, quibus sanior refidet sententia, quamvis prolixiora Lectorem fatigantia Prolegomena explodant, non tamen recusant ea quæ brevem totius Operis synoptîm exhibent tanquam in speculo, ut hac ratione mens imbuta primis rei differendæ rudimentis, facilitiori negotio intentionem Authoris percipiat, & delicatiori oblectatione singularum totius Operis partium pulchritudinem intueatur.

Quare operæ pretium duxi compendiariam hujus Tractatus delineationem in limine præponere, duabus distincti partibus, quarum prior agit de Officialibus Reipublicæ Hispanorum, sive utriusque Castellæ in genere: posterior verò Prætores, seu Judices Ordinarios Civitatum & Oppidorum tam Regiæ Coronæ, quam privatorum Toparcharum in specie considerat.

Amplissima quidem materia est juxta ac utilissima, siquidem in omni Republica benè constituta, Magistratum institutio principem locum sibi facile vindicat, sine quorum authoritate, prudenter, & diligentia stare minimè potest; ut quemadmodum exercitus sine Imperatore ab hostibus nullo negotio debellatur ac diffi-

patur, & navis sine gubernaculo evidentissimis subjacet naufragii periculis, non absimili quoque ratione Civilis Societas non nisi sapientissimorum Officialium confilio & potestate consistit, neque tranquilla pace frui poterit, nisi præsideant qui totam rem civilem publicam & privatam sapientiâ suâ componant & gubernent. Omnia tamen, quæ ad hunc Tractatum revocari possent non congero; sed ut mei moris est, selectiora & utiliora ad proxim forensem, necnon politicam exhibeo, quæ nimurum observanda veniant in electione Officialium, ut digniores semper præferantur omnisque ambitioni via præcludatur; ut legitime electi confirmentur à Principe, vel Baronibus, quorum jurisdictioni subsunt; ut confirmati munus sibi impositum subeant, etiam inviti, ac diligenter persolvant; ut præficiendi requisitis qualitatibus ornentur; ut debito loco sedeant; & incendant absque confusione & tumultu, meritisque donentur salariis; qua ratione creentur Officia, retineantur, extinguantur, vel amittantur; aliisque quamplurima scitu digna, ac specialia, quæ sequens Capitum utriusque Partis syllabus summo digito commodius indicabit.

Quæ omnia legum Civilium & Pontificiarum authoritatibus, appositis etiam quibusdam sacræ Scripturæ locis, Historiarum monumentis, & eruditissimorum Jurisperitorum decisionibus ac sententiis exornantur, ut non modò Dicasterium seu forum judiciale profitentibus necessaria, sed & cujusvis status seu ordinis hominibus utilia non minus quam jucunda fore videantur. Hoc tamen Lectorem monitum velim, ut errata, quæ hac tempestate vix evitari possunt in Typis, judicio suo suppleat & emendet, & quæ Authori jure imputari non debent, benigna æquitate ferat & ignoscat.

BIBLIO-

